



Disputatio theologica de sanctificatione & glorificatione

<https://hdl.handle.net/1874/341646>

DISPUTATIO THEOLOGICA,
DE
Sanctificatione & Glori-
ficatione.

Q V A M.

Favente Deo Opt. Max.

SUB PRAESIDIO

D. GISBERTI VOETII, S.S. Theol.

Doct. Ejusdemque Facultatis in Inclita Acad. Ul-
traject. Profess. ac Ibidem in Ecclesia Pastoris
vigilantissimi.

Publīcē defendet.

JOANNES de KERHUEL, Gallo-Britannus.

Ad diem 4. Julii, horā primā.



ULTRAJECTI,
Ex Officinâ Johannis à Waesberge,
ANNO C I O I C C L V.

Pietate, eruditione spectatissimis

D. GODOFRÆDO HOTTON.

D. HENRICO BLANCHETESTE.

D. NICOLAO BASSECOUR.

Ecclesie Gallo-Belgicæ Amstelodamensis Pastoribus vigilans-

tissimis.

N E C N O N

Reverendis, prudentissimis ejusdem Ecclesie

SENIORIBUS ET DIACONIS Fautoribus & Me-
cœnatis meis summè colendis.

Nostrum, in hanc lucem ingressum aliquid doloris habere admixtum, vestigantur non obscurè fletus ac lachrymæ quas nascentes profundimus, conservationem autem in ea non carere incunditate ac delectamentis, manifestè quoque declarant immensa illa gaudia quibus exultamus, quibus quisque nostrum perfunditur ob sui incolumentem. Ex quo insigni discrimine inter ortum atque progressum nostrum, jure sane ac merito sequi mihi videntur, non minori honore ac observantia dignos esse, eos à quibus conservamur, quam illos à quibus nascimur. Quare cum hodie liberali vestra beneficentia conservatum me videam, fautores & Mæcenates optimi, æquum duxi æquali & honore ac observantia vos prosequi, quibus eos ipsos olim sum prosequutus, qui & hujus mihi dederunt usuram lucis, ac in ea tamdiu liberaliter conservarunt donec è gremiis suis erupimus luxerint; hoc autem aliquo modo putavi me facturum si nomina vestra fronte sua præferret hocce academicum specimen meum & sic observantiae nec non illius, quo vos prosequor honoris, publica effet protelatio.

Reverentiarum vestrarum

Cultor observantissimus

JOANNES de KERHUEL Gallo-Britannus:

Anthon & Respond.

DISPUTATIO THEOLOGICA,
DE
Sanctificatione & Glori-
ficatione.

THEISIS L

VT nix & pluviae de cœlo cadentes eō non re-
vertuntur, sed rigant terram & frēcundant e-
am, sic verbum illud æternum egressum ex æ-
terno patre non sine fructu in terris apparuit,
nec effœtum & vacuum reversum est ad pa-
trem, non effœtum inquam, sed multiplici
frœtu dives, imprimis autem triplici, hominum
scilicet justificatione, sanctificatione, glorificatione: adveniens
etenim in huncce mundum Christus mediatoris Dei & homi-
nū funeturus officio, eos omnes & singulos, à quibus agnitus fu-
it, & pro mediatore, habitus, eos inquam omnes justificavit, san-
ctificavit, & certò certius glorificabit aliquando. Triplex igitur
recepti mediatoris potissimum fructus est, justificatio nimirum,
sanctificatio, glorificatio. Primum non ita pridem meditatus, re-
liquis duntaxat duobus, nunc Favente Deo, ordine incumbam.

II.

De sanctificatione igitur primo dicturus, nullo aptiori princi-
pio uti possum quam ejus definitione, siquidem totus primatus
intelligendi in definitione est, & principium omnis disputationis
definitio esse debet ex principe philosophorum; sic ergo defini-
tur, sanctificatio est actio Dei Spiritus Sancti gratiosa quā in ju-
stificatis peccatum mortificat, ipsorumque intellectu illumina-
to, & voluntate affectibusque renovatis novos sanctitatis motus
in cordibus accedit.

A 2

Hac

III.

Hac definitione, veluti Cardine volvuntur præcipua quæ de sanctificatione sciri possunt & debent; ac primo quidem ex ea comperit fit causam nostræ sanctificationis principalem esse Deum, inductum Sola sua misericordia in Christi merito fundata, quod & Scriptura passim aliterat sed imprimis Levit. 20. 22. v. 8. *Ego Iehova sum Sanctificator vester*, 2. Tim. v. 25. 26. Singulariter tamen Spiritui Sancto eam adaptat. In quo nec discrepat à Scriptura quæ Spiritum Sanctum appellat *Spiritum renovationis* tit. 3. v. 5. quo sensu etiam ex *Spiritu renasci* dicimus Joh. 3. v. 5.

IV.

Operatur autem in nobis Spiritus Sanctus sanctificationem hanc multipli gratiâ, præveniente, scilicet & præparante, operante, cooperante, perficiente. Tot gratiis egredit homo in peccatis mortuus ad vitæ suæ spiritualis recuperationem, quia tamen indebet illi sunt, ideo non omnibus & singulis hæc gratia ad sanctificationem & conversionem sufficiens conceditur, unde non datur gratia universalis sufficiens ad salutem.

V.

Cucunq; autem sanctificantem hanc gratiam exabundanti sua misericordia largitur Deus hominis, illius intendens conversionem, frustra nunquam largitur, à nullo enim duro corde respuitur gratia hæc, sed ipsa durissimum quodque emollit, & operatur invictissimè conversionem cuiuscunque vult Deus, & quandounque vult: volenti enim Deo quis resistet? Quis conatum ejus reddet inanem? Sane omnipotens neutiquam esset, si ejus intentionis effectus, sic à creatura posset impediri, resistibilis igitur minimè est interior hæc gratia conversionis, alias nihil esset aliud quam moralis quedam suasio quæ fidem & sanctitatis exercitium Deus iuaderet hominibus. Quo pacto discerneret se ipsum homo converitus ab aliis contra doctrinam Apostoli 1 Cor. 4. 2. 7. ab eo enim esset conversio ejus, & non à Deo in ipso effecta; quod senserunt olim Pelagiani docentes totam hominis conversionem peragi & absolvit causis moraliter tantum agentibus,

bus, id est, præcientibus suadentibus, exhortantibus, dehortantibus, minitantibus, &c.

V.I.

Deus igitur causa est principalis nostræ sanctificationis, impulsivam dixi obiter else solam Dei misericordiam in Christi merito fundatam, juxta expressa hæc Scripturæ testimonia, tit. 3.2.5. Ex misericordia servavit nos per lavacrum regenerationis, & renovationem Spiritus Sancti 1. Pet. 1. & 3. Ex multa misericordia regenuit nos in spem vivam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, 1 Cor. v. 3. Christus factus est nobis sapientia à Deo Iustitia sanctificatio & redemptio &c. Instrumentalis autem interna est fides, external lex & Euangelium ulla sacramentorum, & castigationes piorum : hæc enim omnia ad sanctificationem plurimum converunt, & eam non medioriter promovent Fides imprimis fons est omnis Sanctitatis, pietatis & cultus virtutum, unde fide dicuntur purificari corda nostra, Act. 15. v. 9. & de castigationibus peculiariter dicit regius propheta Psal. 119. v. 71. Bonum est mihi domine quod humiliasti me, ut cognoscerem vias tuas.

VII.

Et sic fuit Efficiens nostræ sanctificationis ; materia ejus in quâ sive subjectum est homo, & quidem, solus Electus: reprobos enim ut Deus nunquam justificat, sic nec sanctificat: individuo etenim nexu conjunguntur bona hæc justificatio & sanctificatio, ex ipsis etiam mente adversariorum. Deum autem non justificare reprobos inde liquet, quod illos non glorificet, quos cunque enim justificat, illos & glorificat, teste apostolo ad Rom. 8. v. 30.

VIII.

Subjectum igitur sanctificandum est homo electus, sed jam justificatus, licet enim tempore simul sint justificatio & sanctificatio, inter illas tanmen est prioritas quædam ordinis, quâ sola prioritate antecedit in homine justificatio sanctificationem, dico quâ sola prioritate ad retundendam calumniam adversariorum, qui eiusmodi nobis affingunt justificationem, quæ à sanctificatione non tantum distincta, sed & tempore separata quoque sit,

diserta nostra est sententia. Sanctificatio ut individualis comes justificationis semper premit vestigia, illamque proxime insequitur, non tempore, sed solo ordine posterior, unde licet ab illa distincta & diversa, separata tamen nunquam est.

I X.

Homo autem electus justificatus & sanctificandus, ita est in peccatis mortuus, ut ad spiritualem sui inscriptionem in sua regenerationis sive sanctificationis principio, ne vel minimum contumaciam possit conferre: unde dum potente sua gratia regenerationem ejus orditur divinus Spiritus, ad eam inchoandam active non concurrit, sed tantum est subjectum παθητὸν quod agenti & operanti Spiritui non cooperatur, sed potius reluctatur per corruptam naturae vitium? unde pelagianus est dicere initium conversionis ab actionibus liberi arbitrii suspensum esse, vel humanas vires in initio sua sanctificationis juvari duntaxat gratia & auxilio divino.

X.

Fuit subjectum seu Materia, Forma nostrae sanctificationis est deperditæ imaginis Dei instauratio, sive innovatio spiritualis ad pristinam & primogeniam illam cum Deo prototypo nostro conformitatem. Ut autem clarius intelligatur, in quo innovatio hæcce consistat, sive quenam sint ejus partes, sciendum est quid fuerit imago Dei in homine. Igitur imago Dei in homine erat conformitas animæ illius cum Deo, primo in natura ipsiusmet animæ quoad spiritualitatem & immortalitatem. Secundo in facultatibus quo ad intellectum & voluntatem. Tertiò in habitibus quoad Sapientiam & Justitiam: his omnibus absolvitur imago Dei in creaturâ rationali, ex quibus multa intime adeo & tenaciter ipsi adhærent, ut nisi ipsamet anima totaliter destruatur, ipsa quoque nec aboleri, nec ab illa avelli possint, eiusmodi sunt spiritualitas ac immortalitas animæ, insuperque nobilissimæ Facultates intellectus & voluntas, reliqua duntaxat duo sunt amissibilia, (salva manente anima) & amissa de facto fuerunt per lapsum Adami, scilicet sapientia & justitia. Nunc ergo cum dicimus: Formam nostræ sanctificationis esse de-

perditæ

perditæ imaginis Dei instaurationem , manifestum fit instauratiōnem hanc restringi debere ad hos binos habitus , sapientiam & justitiam , quantum ad illos solummodo imago Dei in nobis deperdita fuit: & consequenter dicere formam nostræ sanctificationis esse deperditæ imaginis Dei instaurationem , unum erit & idem , ac si diceremus formam nostræ sanctificationis esse resti-tutionem sive restaurationem duorum illorum habituum , Sapientiæ & Justitiæ , per lapsum amissorum . Unde nunc planil-
lum est , quænam debeant esse partes formales illius nostræ sanctificationis sive innovationis . Nam cum sapientia fuerit ha-bitus intellectus , justitia autem voluntatis , cumque post jactu-ram sapientiæ intellectus noster obtenebratus fuerit spissa caligine & cœcitate , id est , crassa ignorantia Dei & rerum Divina-rum , voluntatisque similiter amissa Justitia , in omni vitio-
rum genere obdurata fuerit , & à Deo ejusque cultu ab-alienata , sequitur partes formales sanctificationis nostræ has esse debere : primò spiritualem intellectus cœcitatatem illuminiabit , secundò voluntatis duritiem emolliet , ab obsequio Dei aliena cum sit , fletet illam ad ejus cultum , serva cum sit peccati , ab ea seruitute illam eximet , vindicando imprimis in pri-stinam libertatem liberum , ejus arbitrium quod ante regenerationem ad peccatum per se vel per accidens tantum idoneum , ad bonum quoque reddet aptum , unde ut olim in statu inno-centiæ , sic nunc in statu gratiæ , liberum nostrum arbitrium est ad bonum & malum , utrumque enim potest facere , bonum qui-dem per gratiam Dei , malum vero per peccati reliquias adhuc nobis inhærentes , 3. Denique affectum hominis (quales sunt amor , odium , ira , æmulatio , &c.) affectum inquam hominis intemperiem sanabit , sub rectæ rationis jugum illos redi-gendo , & sic toti homini restituet (quantum in hac vita fieri po-test) primitivam illam justitiam illi in statu innocentia natura-lem . Quod obiter noto contra Pontificios qui eam pro superna-turali dono habent , & ideo negant naturam per lapsum esse cor-ruptam , quia non nisi supernaturale donum ei ademptum cre-dunt , relictis omnibus naturalibus , sic olim sensit Pelagius .

Has

XI.

Has igitur partes formales sanctificationi tribuimus, illuminat salutariter intellectum obtenebratum, & orbatum Dei notitia ac rerum divinarum, secundò voluntatem emollit, & fletit ad cultum Dei & ad obsequium ejus mandatorum. Tertiò affectus effrænatos compescit ac coercet, sive tandem nos innovat ad imaginem nostri Creatoris, restituens nobis deperditam illam imaginis divinæ partem, illos scilicet habitus duos, sapientiam, justitiam, ex quo appetit sanctificationem significare alterationem sive mutationem hominis non sancti, in quem novas inducit qualitates, amissos scilicet illos habitus duos; cum contraria justificatio non alterationem, sed forensi more absolutionem non justi gratiosam & adjudicationem juris vitæ aeternæ denotet; quod insigne delictum inter justificationem & sanctificationem diligenter notandum est.

XII.

Alii partes formales sanctificationis has duas constituunt, mortificationem veteris, & vivificationem hominis novi, quæ sententia à nostra nonnisi verbis discrepat, ut patebit consideranti terminos hos mortificationem veteris hominis, & vivificationem novi, illosque deinde cum nostris conferenti, hæ tamen partes non arrident quibusdam; nisi per mortificationem contributionem per vivificationem fidem intelligas unde illis duas sanctificationis sive pœnitentiaz (plerisq; enim Theologis Synonymæ sunt omnes hæ voces sanctificatio, pœnitentia, regeneratio, conversio) unde, inquam, illis duas sanctificationis sive pœnitentiaz partes sunt, contritio & fides Pontificiis autem sunt tres, scilicet contritio cordis, confessio oris, satisfactio operis. Hujus Pontificiæ partitionis, quævis pars laborat suis navibus, sed tertia presertim blasphemæ est in Christi meritum; Simoniaco criminis valvas aperit, quod crimen ideo videmus & deploramus accidere non raro apud ejus authores; nimirum etiam operibus satisfactoriis, expiatoriis, meritoriis, quæ nulla sunt, quia omnia nostra opera sunt debita Deo, sunt semper imperfecte bona, & cum variis peccatis læpe conjuncta, quia denique Christus pro nobis plenissime Deo Patri satisfecit, plenissimè expiavit nostra peccata.

XIII.

XIII.

Fuit forma, finis nostræ sanctificationis duplex potest afferi.
Summus & hic est gloria Dei , Philip. 1. vers. 11. Pleni fructibus
justitia quæ insunt vobis per Iesum Christum ad gloriam & laudem Dei:
subordinatus , qui multiplex, ut salus nostra æterna. Hebr. 12.
vers. 14. sine sanctitate nemo videbit Deum; Confirmatio nostræ e-
lectionis 2 Petr. 1. vers. 10. operam date ut vocationem & electio-
nem vestram firmam efficiatis; nostræ fiduci declaratio. Jac. 2. vers. 18.
ostende mihi fidem tuam ex operibus tuis.

XIV.

Etsic hactenus causæ omnes nostræ sanctificationis , restant
adjuncta duo, primū est imperfectio ejus in hac vita, omnis enim
nostra sanctitas quamdiu peregrinamur à Domino instar panni
inquinati est. Ies.64.v. 6. In multis omnes labimur Iacob. 1. v. 2.
non est homo qui non peccet 1. Reg. 8. vers. 48. Unde patet
etiam à justis imperfectè tantum impleri legem Dei , & conse-
quenter imperfectam rectè dici sanctificationem nostram toto
hujusce peregrinationis cursu: nec omnia prorsus peccata no-
stra ad internectionem deleri: relinquit enim adhuc in nobis
quandam labem & morbidum quemdam affectum inclusum
penitus in intimis cordis nostri venis, atque in visceribus, fomi-
tem omnis desiderii illiciti, concupiscentiam pravam intelligo ,
quæ post regenerationem in nobis reliqua peccatum est propriè
dictum, utpote quæ lege Dei prohibeatur. Rom. 7. vers. 7. non
concupisces. Illiisq; refragetur & divine se opponat sapientia & in-
desinenter luctetur adversus spiritū: ubi nota luctam illam carnis
& spiritus non fuisse naturalem hominibus in naturâ integrâ, sed
esse conlequens naturæ vitiatæ; donecigitur lentinam hanc inha-
bitantis carnis ejecerimus , imperfecta semper manebit nostra
sanctificatio.)

XV.

Secundum sanctificationis adjunctum est continuatio ejus, si-
ve perseverantia in eâ : etiam si enim in hac vita non consumme-
tur in nobis sanctificatio, tamen semel inchoata nunquam amittit
ur, sed in ea semper proficit justificatus. Unde patet sanctifi-
catio :

cationem non uno momento acquiri sed successivè, tuosque habere gradus, quorum complementum futuræ vitæ refervatur. Quod est alterum insigne discrimen inter illam & justificationem quæ non certis gradibus & temporum intervallis, verum tota simul & uno momento peragitur.

XVI.

Et sic fuit sanctificatio. Consequens ejus exoptatissimum omnibus, sed solis donandum sanctificatis est glorificatio, quæ tertius recepti mediatoris est fructus tam certus justificatis, ut de illo, quasi de re jam acta loquatur Apostolus in tempore quod vocant præteritum, quos, inquit, justificavit eos etiam glorificavit, Rom. 8. vers. 30. Cum tamen tam multi justificati sint adhuc glorificandi. Sic autem definitur, est actio Dei gratiosa qua electi ex mortuis suscitati beata in cœlis vita in æternum perfruuntur.

XVII.

Ex hac definitione patet definiri hic à nobis glorificationem eam qua tum corpus tum anima simul iterum unita glorificabuntur post novissimum illum diem, mentionem enim facit electorum è mortuis suscitatorum, quæ verba animabus non quadrant, utpote quæ non egeant suscitar quia mori non possunt, unde animæ istæ immortales statim post discessum à corporibus suis, recipiunt à domino juxta opera sua. Quælibet enim vel demergitur in infernum, vel si pia fuerit, recta evolat in cœlum æterni ibi potitura solatio, ut de Lazaro dictum fuit, nunc hic solatio frui tur, Luc. 16. vers. 25. quare præter cœlum & infernum, nullus alius datur medius locus, purgatorium Pontificium, in quo purgari dicunt, animas salvandorum, & igne tamdiu torri, dum pro peccatis iplorum plene sit satisfactum divinæ justitiæ; purgatorium inquam pontificium figmentum est contumeliosum sanguini Christi, & ignotum Scripturæ, quæ nullum aliud novit purgatorium præter sanguinem Christi. I. Joh. 1. vers. 1. Sanguis enim Christi purgat nos ab omni peccato, quod utrumquæ etiam afferimus de gemino illo limbo, uno fidelium ante Christum de natorum ad quem illorum animas ablegatas, ibidemque deten tas

tas docent usque ad resurrectionem & ascensionem Christi
in cœlum; altero infantium, in quo parvuli sine baptismo de-
functi pœna duntaxat damni; id est, sola gloriæ parentia sine do-
loris sensu singuntur multatari.

XVIII.

Hic igitur agimus de glorificatione illâ cujus antecedens est
excitatio à mortuis, quæ opus Dei & singulariter filii Dei Christi
~~Georgrpw~~ erit juxta hæc scripturarum loca, Joh. 6. v. 4. Ego susci-
tabo enim in ultimo die 1 Cor. 15. v. 22. Sicut in Adamo omnes mo-
riuntur ita & in Christo omnes vivificabantur 1 Thess. 4. v. 1. 4. Joh.
5. v. 28. adhanc excitationem mortuorum inducit Deum tum ve-
ritas, tum misericordia, & Justitias.

XIX.

Qui autem excitabuntur à mortuis erunt soli defuncti homi-
nes, qui idem numero, hoc est cum iisdem quos in hac vita ha-
buerunt corporibus resurgent in ultimo illo die, dico solos defun-
ctos, in adventu. Etenim Christiani vivi adhuc plurimi invenien-
tur qui rapientur in aëra obviam Christo & sine ulla morte, sine
ullo tormentorum sensu, ad æternam gloriam intromittentur,
eruntq; perpetuo cum domino: multis autem adveniente Christo,
adhuc fore superstites testatur Apostolus 1 Thess. 4. v. 15. nos
vivi qui reliqui etimus in adventu domini non præveniemus eos qui ob-
dormierunt, & v. 17. qui mortui fuerint in Christo resurgent primum
deinde nos vivi qui reliquerimus, rapiemur simul cum eis in nubibus in
occursum domini, 1 Cor. 15. ver. 5. 1. non omnes quidem obdormie-
mus, sed omnes mutabimur; hanc autem mortuorum excitationem
possibilem Deo, imo & quam facillimam fore probari potest ex
omni potentia nec non omni scientia supremi illius numinis.

XX.

Excitati igitur homines & sepulchris egressi una cum
vivis superstibus procedent ad tribunal judicandi à Chri-
sto ~~Georgrpw~~ hoc enim ultimum judicium est apotelesma
& ideo Christo competit secundum utramque naturam

servatis tamen utriusque naturam proprietatibus; quin imo in
hoc ultimo judicio sancti etiam una cum Christo mundum judi-
cabunt 1 Cor. 6. Math. 16. v. 28. non ipsi quidem causas principa-
liter cognituri, & sententiam pro authoritate pronunciaturi; sed
pronunciatam à Christo judice sententiam probaturi, hoc ulti-
mum judicium prædictur. Math. 25. locus erit hic mun-
dus sublunaris. quia de cælo ad judicium descendet domi-
nus, quidam in aëre futurum colligunt, ex 1 Thess. 4. v. 17. Si-
mul cum illis rapiemur in nubibus in occursum domini, in aëra; quoad
tempus Deo quidem ratum est & definitum nobis vero igno-
tum, quidquid dicant calculatores, unde prorsus incerta est sen-
tentia illa (quam tamen plures è patribus tenueruntur & impri-
mis Hieronymus in Explan. Plal. 94. scilicet mundum ultra sex
annorum millia non duraturum, sex millibus annorum (inquit)
stabit mundus, duobus millibus inane & vanitas, duobus millibus
lex, duobus millibus Messias, postea finis erit. Certius & tutius est
dicere cum Christo Marci 13. v. 22. de die illo ac tempore nemo no-
vit, ne angeli quidem qui in Cælo sunt, nec ipso filius, sed solus pater.
Filius autem diem illum dicitur ignorare, non (ut quidam volunt)
quod sibi sed quod nobis eum ignorarit, id est nobis pate facere
diem illum noluerit, sed quod id de Christi humana natura inter-
pretandum sit; idque in statu humiliationis.

XXI.

Prolata autem sententia Christi judicis, intromittentur Electi
ad vitam beatam glorificandi in æternum diversis tamen gloriæ
gradibus ex Daniel. 12. v. 3. & 1 Cor. 15. 8. 41. alia gloria
solis, alia gloria lunas, & alia gloria stellarum stella siquidem à
stella differt in gloria. Sic & resurrectio mortuorum, hæc tamen gloriæ
diversitas à sola Dei liberalitate procedet, qui ut inæqualiter
dona sua in hoc mundo distribuit, ita inæqualiter, quoq; fuos co-
ronabit in cælo ex abundantí misericordia sua. Unde fallo Pon-
tificii hanc gloriæ diversitatem meritorum à scribunt diversitatí:
nihil ibi meritum faciet, ut vita æterna, sic & gradus gloriæ di-
versi donum Dei erunt.

XXII.

XXII.

Vita autem beara statns est omnium bonorum aggregatione perfectus, sed inter tot bona, gratissimus erit geminus intuitus, unus gloriae Christi qui nobis innuitur. Joh. 12. vers. 24. Pater volo, ut ubi ut ego sum, sint & tu, quos dedisti mihi, ut gloriam meam videant, alter faciei divinæ, qui promittitur quoque i Corinth. vers. 4. videbunt faciem ejus, intuitus autem hic sive visio faciei divinæ erit perfecta cognitio non absoluta quidem & infinita, vel ut loquuntur comprehensiva, sed tanta tamen, quantæ Capax esse potest creaturæ. Geminus hic intuitus stirps erit aeternus ineffabilium prorsus gaudiorum, quibus tur beati, quibus exultabunt in æternum. Nec enim felicitas nostra in sola malorum carentia consistet, nec beati dunt taxat erimus, quia non sitiemus, non esuriemus amplius, neque cadet super nos sol, neque ullus æstus, aut quia abstulerus est Deus omnem lachrymam ab oculis nostris, sed quia insuper agnus ille qui in medio throni est, ducet nos ad vivos fontes aquarum, hoc est, nos gaudiis perfundet æternis, quæ si de perpetua ipsorum duratione metuereut, metu illo torquebentur; & conseqüenter non perfecta fruerentur beatitudine.

XXIII.

Hæc de tam felici statu, ac proinde de glorificatione dixisse sufficiat, quia Scriptura ulterius non procedit, sine illâ autem duce, differere velle de his, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in mentem hominis venerunt, & vanum & pericolosum est: in contrarium sapit ille, & tu quo incedit, qui ibi silet, ubi Scriptura tacet, qui ibi profitetur se ignorantum, ubi verbum Dei non edocet, nec præbet se Maxistrum. O sapientem, O tutam ignorantiam!

SOLI DEO GLORIA.

the same. From the history of the life of Jesus
it appears that he was born in the year 4000.
and that he died in the year 4000. He was
buried in the year 4000. He was resurrected
in the year 4000. He ascended into heaven
in the year 4000. He is now in heaven
and will return to earth in the year 4000.

ANNO DOMINI 4000.